



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

VIII. De familiari amicitia Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

98 *De Imitatione Christi*
nies etiam te ipsum , sed ad tuam
perniciem.

Plus enim homo nocivior sibi , si
Jesum non querit , quam totus
mundus , & omnes sui adversarii .

C A P U T V I I I .

De familiari amicitia Iesu.

1. **Q**uando Jesus adest , totum
bonum est , nec quidquam
difficile videtur : quando vero Jesus
non adest , totum durum est .

Quando Jesus intus non loquitur ,
consolatio vilis est : si autem Jesus
unum tantum verbum loquitur ,
magna consolatio sentitur .

Nonne Maria Magdalena statim
surrexit de loco , in quo flevit , quan-
do Martha illi dixit : Magister adest ,
& vocat te ?

Felix hora , quando Jesus vocat
de lacrymis ad gaudium spiritus !

Quam aridus & durus es sine Iesu !
Quam insipiens & vanus , si cupis
aliquid extra Iesum ! Nonne hoc est
majus

eo cap

majus damnum, quam si totum perderes mundum?

2. Quid potest tibi mundus conferre, sine Jesu?

Esse sine Jesu, gravis est infernus:
& esse cum Jesu, dulcis paradisus.

Si fuerit tecum Jesus, nullus poterit nocere inimicus.

Qui invenit Jesum, invenit thesaurum bonum, immo bonum super omne bonum.

Et qui perdit Jesum, perdit nimis multum, & plus quam totum mundum.

Pauperrimus est, qui vivit sine Jesu: & ditissimus, qui bene est cum Jesu.

3. Magna ars est, scire cum Jesu conversari; & scire Jesum tenere, magna prudentia.

Esto humilis & pacificus, & erit tecum Jesus.

Si devotus & quietus, & manebit tecum Jesus.

Potes citò fugare Jesum, & gra-

De Imitatione Christi
tiam ejus perdere , si volueris ad ex-
teriora declinare.

Et si illum effugaveris & perdi-
ris , ad quem fugies , & quem tunc
quæres amicum ?

Sine amico non potes bene vive-
re : & si Jesus non fuerit tibi præ
omnibus amicus , eris nimis tristis
& desolatus.

Fatuè igitur agis , si in aliquo alte-
ro confidis , aut lætaris.

Eligendum est magis totum mun-
dum habere contrarium , quàm Je-
sus offendit.

Ex omnibus ergo charis , fit Jesus
solus dilectus specialis.

4. Diligantur omnes propter Je-
sus , Jesus autem propter se ipsum.

Solus Jesus Christus singulariter
est amandus , qui solus bonus & fi-
delis præ omnibus invenitur ami-
cis.

Propter ipsum , & in ipso tam
amici , quàm tibi fint chari : & pro
omnibus his exorandus est , ut oin-
nes ipsum cognoscant & diligent.

Nun-

eo cap

Nunquam cupias singulariter laudari vel amari , quia hoc solius Dei est, qui similem tibi non habet.

Nec velis , quod aliquis tecum in corde suo occupetur , neque tu cum alicuius occuperis amore : sed sit Jesus in te , & in omni bono homine.

5. Esto purus & liber ab intus, sine alicuius creaturæ implicamento.

Oportet te esse nudum , & purum cor ad Deum gerere ; si vis vacare & videre , quam suavis est Dominus.

Et revera ad hoc non pervenies, nisi gratia ejus fueris præventus & intraclusus : ut omnibus evacuatis & licentiatis , solus cum solo uniaris.

Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: & quando recedit, tunc pauper & infirmus erit , & quasi tantum ad flagella relictus.

In his non debet dejici, nec desperare; sed ad voluntatem Dei æquanimiter stare , & cuncta supervenientia

nientia sibi ad laudem Jesu Christi
perpeti : quia post hiemem sequi-
tur æstas ; post noctem redit dies ; &
post tempestatem magna ferenitas.

C A P U T I X.

De carentia omnis solatii.

I. **N**on est grave humanum
contemnere solatium, cùm
adest divinum.

Magnum est, & valde magnum,
tam humano quàm divino posse ca-
rere solatio : & pro honore Dei, li-
benter exilium cordis velle sustine-
re : & in nullo se ipsum quærere,
nec ad proprium meritum respi-
cere.

Quid magni est, si hilaris sis & de-
votus adveniente gratiâ ? optabilis
cunctis hæc hora.

Satis suaviter equitat, quem gra-
tia Dei portat.

Et quid mirum , si onus non sen-
tit, qui portatur ab omnipotente, &
ducitur à summo ductore ?

2. Li-

eo cap